

R. 82

No. 8^a

XXXI.

1701 13

Q. D. B. V.
DISSERTATIO JVRIDICA
DE
RATIONE STA-
TVS IMPERII ROMANO-
GERMANICI.

Quam

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRID. WILHELMO
REGNI BORVSSICI, AC ELECTORATVS BRANDEN-
BVRGICI HEREDE &c. &c. &c.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

DN. JACOBO BRVNNEMANNO
JVRIVM LICENTIATO.

D. 9. May. M DCCI. H. L. Q. C.

Eruditorum disquisitioni subjicit

AVGVSTVS ADOLPHVS ERMISCH

Brunsvicensis.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis JOHANNIS GRUNERI, Typogr. Acad.

D I S S E R T A T I O N E I U R I D I C I

A T T A C H M E N T
T A S P R E R R U K O N N I G
G E R M A N I C I

D N . F R I D . W I L H E L M O

R E G I F O R M A T I O N E V C T H E C T O R A T T E B R A U N D E N

D U R C I C H E R E D E G E R M A N I C I

M A X I M I J E S S I A L R I C H A R D I C H I A

P R U E S I D E

D N . J A C O B O B R A U N N E M I N N O

J A R C H I F I C E N T A T I O

D N . H E C C H F . G

H E C C H F . G

V A G A S T A S A D O L T H A S A R M I S C H

D I C H T U N G E R

H E C C H F . G

T h i s J o u r n a l G r a n d J o u r n a l A g



COROLLARIA.

I.

Optima Politica est, quæ ex Sacris Bibliis hauritur. Imo politica sine genuina Ethica & cognitione sui ipsius, non potest non degenerare in stultitia n.

II.

Exemplum pessimæ politices & Rationis status suppeditat erectio vitulorum aureorum a Jerobaamo I. Reg. XIII. & XIV. Bene autem, & ad gustum meum judicat de hoc facto Huberus: *Ratione mere politica id factum a Jerobaamo. Si fidem habuisset in Deum, qui Regem eum fecerat, hunc eventum providentie ejus commisisset. Sed ille viam per vulgatum politicorum ingressus est, & Rationem Status, quam vocant, a Dei verbo separavit, male & improvise, ut sepe docet eventus politicos. Non est major prudentia quam rectam insisterem viam &c. vid. observat. Jur. Publ. ad histor. civil. L. I. P. 1. Sect. 2. c. 6. §. 2.*

III.

Merito luctu publico deplorandum est, judice illustri Dn. Cancellario de Jehna de Rat. Stat. Diff. II. concl. 7. quod vera Ratio Status, quæ in æternæ salutis acquisitione consistit, in tam frequenti usu Rationis Status inter Christianos, vix ac ne vix appareat.

Ratio-

IV.

Ignorat vera religio Rationem Status mundani; hinc mirari subit, quid permoverit nonnullos, ut religionem suam utilitate dogmatum metiti sint, & interesse civile fuæ religionis quas in taberna expuerint.

V.

Quamvis pontifícia religio ex sacra scriptura, ut & inde Christianismi Novi Testamenti abunde errorum perniciosissimorum convinci possit; Nihi lominus nec politica hic nullas non partes sibi vindicat. Ex hac enim clare demonstrari potest, totam illam Hierarchiam papalem, & dogmata, quæ traditionum primitivæ Ecclesiæ vocabulo involvuntur, ex mera Ratione Status Curiae Romanae profecta esse.

VI.

Ratio Status, quæ non Deum, non rationem & justitiam, non interesse publicum, sed solam utilitatem ejus, qui illa utitur, respicit; illa recte definitura

Boccalino, quod sit norma utilitatis, in totum contraria legibus divinis & humanis.





DISSERTATIO XII.

De

RATIONE STATVS IMPERII
ROMANO-GERMANICI.

SUMMARIA.

Praejudicia contra praesens thema de Ratione Status Germanie. §. 1.
Remouentur ille objectiones. Nevis veterum Publicistarum quod
de ratione Status nil attrigerint. §. 2.
Declinatur expectatio, ac si arcana Reipubl. sub hoc titulo essent
comparitura. §. 3.

Scriptorum, maxime Italorum, varia definitiones Rationis Status. §. 4.
Germanici Scriptores de Ratione Status: Judicium de Hippolytro a La-
pide. §. 5.

Laudatur Dn. Textoris tr. de vera Ratione Status Germanie, & quid in
hoc scriptioris genere potissimum observandum sit. §. 6.

Defenditur philosophia Textoris circa tolerantiam religionis. §. 7.

Ratio Status in genere consideratur. §. 8.

Ratio Status Principum specialis intuitu suarum Provinciarum. §. 9.

In quo sensu de Ratione Status Germaniae hic agatur. §. 10.

Incommoda forma a regulis politicia abeuntis. Quenam forme pro politi-
tice perfectio habeantur. §. 11.

Formae Imperii praesens an ex enumeratis illis sit, inquiritur. §. 12.

Differencia inter vitia Status & vitia hominum sive Administrantium.
§. 13.

Vitia Status Germanici quenam? Mutua renitentia inter Imperatorem
& Ordines. §. 14.

Æmulationes & distractiones Ordinum & occulta intestina dissidia e-
numerantur. §. 15. & 16.

Odia ex diversa professione Religionis, & quid Germaniae in posterum
inde metuendum sit. §. 17.

Incommoda ex ambagibus Processuum, monete corruptione & varietate. §. 18.

Ostenditur ejusmodi vitia enumerata ex forma & statu presenti non posse non fluere. §. 19.

Removetur ineptum prejudicium, ac si cum officio boni civis pugnet, incommoda status Civitatis sua tangere. §. 20.

Remedia quae his malis eradicandis solerter excogitata, nec applicabilia somnia sunt. §. 21.

Causa, cur nulla spes sit, formam Imperii in regularem mutari posse. §. 22.

Remedia laboranti Germania suggerita ab Hippolyto a Lapide Monzambanus convellet, ac alia substituit, judicium de iis §. 23.

Remedia Generalia Germania, a nonnullis suggerita. §. 24.

Ostenditur illaremedie esse cuius palliativis non absimilia & frustanea, quamdiu in Civitate singuli non serio proprio felicitati student.

Emendatio statutum religionis & cultus divini. Grave monitum Forsteri. §. 25.

Ostenditur mutua tolerantia dissentientium in religione & piorum Antistitum fidelis instructione, plus effici posse, quam omnibus Conciliis & Colloquiis religionis causa institutis. §. 27.

Emendatio Status politici per Commerciorum facilitationem. §. 28.

Inutilis peregrinationes Germanorum rejiciuntur cum Monzambano.

§. 29.

Probi & prudentes Consiliarii Principi adhibendi sunt, ut eo melius omnia gubernentur. §. 30.

No. 8^a

§. I.

 Nsolens ac novitatem spirans inscriptio præsentis Dissertationis videri posset, eo quod in hac, de ratione Status Germaniæ quædam in medium adducere præsumamus, præsertim, cum nullus veterum scriptorum Juris publici præiverit hac in parte, & præterea politicis hæc cura demandanda sit inquirendi, quid ex usu Germaniæ sit necne? Imo vero, ut nonnulli nobis studium alienis negotiis nosmet ingerendi objecturi sint, cum tractatio de Ratione Status Germaniæ, sive quod huic vasto Corpori expediat, Cæsari & reliquis Statibus eorumque arcanis & sanctioribus Consilii relinquendum sit; ne arcana Imperii prodantur æmulis & inimicis.

§. II. Verum si ita facile esset veram Rationem Status Germaniæ detegere, & sic salutaria patriæ Consilia propone; quam quidem nullius negoti est hisce objectionibus satisfacere; Profecto res Imperii meliori loco starent. Scilicet placuit Coronidis loco præsentibus Dissertationibus addere disquisitionem de consiliis que Germaniæ ad conservationem status sui, & communem felicitatem, suppeditantur a peritoribus. Præivit hac in re sagacissimus Monzambanus. Hic indignum & ignavum putans exalitis conscribere Juspublicum, vix adspersa judicii mica, Capite ultimo remedia morbis & vitiis Imperii in Capite VII. ingenue politiceque dæcetis, propinavit. Imo jam ante illum tractatu de vera & varia Ratione Status Germaniæ innotuerat Orbi eruditio celeberrimus Textor, de quo infra differendi occasio erit. Igitur cum Veteres Publicistæ in suis Operibus nullum hujus rei idoneum specimen exhibuerint; eo ipso demonstrarunt, quod quidem *jus Publicum i. e. leges publicas* sci-
erint, quod & *historici esse potest*; sed *Jurisprudentiam publicam*, h. e. habitum dextre interpretandi leges publicas, at-

li 2

que

1882.104.91.1.1.3

224 DE RAT. STAT. IMP. ROM. GERM.

que in dubio statu e Republica consilia dandi nesciverint. Monitum autem jam supra est, quomodo politica specialis Germaniae & Ratio Status cum Jure publico arcte coniuncta sit. conf. *Diss. I. §. 13. seqq.* Hinc nemini hodie virtus verti poterit, si cum recentioribus potius fructibus quam glande vesci malit.

§. III. Nemo interim a nobis circa hoc institutum expectabit arcana inaudita. Nihil enim hic occurret, quam communia remedia, aut saltem communium remediorum examen, an salutariter Germaniae applicari possint; an vero ad entia rationis politica spectent? Nam hæc et sua entia rationis non solum Dialectica, sed & Politica. Hæc vero *arcana* vocare esset æque ineptum ac est titulus *Arcanorum Rerumpublicarum Clapmarii*. Talia enim non sunt arcana, quæ ab omnibus possunt legi, quæ in Scholis nota sunt, & ad media communia pertinent, uti bene moneret de Clapmarii libello illustr. Dn. Canzell, de lehna *de Rat. Stat. pag. 48.* Hinc nec nos feriet, quod ludibrium illi debeant cordatioribus, qui in privata vita constituti, ambitione leges prescribere non dubitant-iis, qui ad Reipublicæ clavem fident, licet ad id nec rogati sint, nec æternum rogabuntur ab illis. Ut vero hoc occinendum illis est, qui semet immiscent negotiis salutem publicam attinentibus, ac velut ex tripoide, aut si mavis Parnasso, Consilia sua non sine pædagogico fastu crepant, melius facturi si in defectu aliorum laborum, dolium cum Diegene volarent per plateas; ita ad aliorum circa haec tradita minus rite se se habentia convellenda, labor meo quidem judicio, reprehensionem haud meretur,

§. IV. Propius vero excutere volenti Rationem Status Germaniae tot ab initio occuruisse Scriptores, qui hoc thema in genere tractarunt, ut ipsa eorum multitudo, rem quam illustrare voluerunt, obscuraverit ac tantum non caliginem induixerit. In primis vero nescias an mulum ex illis scriptoribus haurire possis Rationi Status Germanici inserviens. Itali & Galli, qui primitus partem illam politices arcanioris sub

sub Rationis Status nomine interpolatam orbi venditarunt, in varias descriptiones partitionesque hujus rei scissi sunt, pars etiam scopo suo plane excidit. Ludovicus Septimus non semper rem subtilem acu tetigit in suo tr. de *Rat. Stat.* & haud paucas vulgares regulas afferit. Alter Scipio Ammiratus disc. in Tac. lib. 12. disc. 1. aliter Palazzus de *Gubernat.* p. 4. c. 17. alter Trajan, Boccalini in *Relat. ex Parnass.* Cent. 2. rel. 87. definiunt Rationem Status. Plerique autem ita se explicant, ut modo flagitia Dominationis, artes Tiberianas, & plerumque omne illud quod in politicis contra rationem suscepimus est, sub larva Rationis Status occultent, uti protervia & vefania in Ethniciis sub Heroica virtute aliquando venditatur. Exemplum prioris est Gabriel Naudæus cædem Reformatorum, sive Hugonottarum in Gallia sub Carolo IX. Parisiis factam, propter Rationem Status excusans, philosophia paulo rustiore, Iudice B. Puffendorfio in der *Einleit. der Histor. cap. 2.*

§. V. Ex nostra natione non minus læta seges eorum est, qui hanc materiam lucubratione dignam judicarunt. Extat sub titulo *manualis politici* sive de *Ratione Status libellus* W. F. ab Efferen. Verum præter titulum nil rationis Status complectitur insipidus Autor, nimio favore erga clericos ad superstitionem usque & servitutem irreitus. Ex illis autem qui in specie de *Ratione Status* aliquid ediderunt, quod ad statum Germania faceret, & seculum ferme posset, duo in primis præ aliis celebriores sunt. Alter teñto nomine, ast & propterea liberior & impudentior, incedit, *Hippolitum a Lapiде* semet vocans. Nonnulli autem verum nomen ejus *Rusdorffii* Palatini nobilis, alii *Dransei Secretarii Svecici* esse conjecturantur. Quicquid sit de Autore, remedia ad restaurandam veram Rationem Status ab eo proposta, quilibet patriæ amantium execratur. Flamas, ferrum, extirpationem spirat hic libellus, quippe recentibus odiis interiplas flamas belli tricennarii protrusus in lucem. Interim Virum istum rerum Germaniae præ multis isto tempore peritum fuisse, non possum adduci ut diffitear. Meliora forsitan pro-
tulis-

protulisset, si alio tempore vixisset, aut si amor Patriæ privatis injuriis prævaluisset. Quod cum non factum sit, non mirum est, ejus remedia laboranti Germaniæ proposita, a sana politica valde aberrare. Non Schlüterus ejus adversarius hoc demonstravit, quippe subsidiis haud ei sufficere & tantum pro Cesare amoris ostentans, quantum Hippolitus odii; sed sagacissimus Monzambanus (hunc ill. Baro a Pufendorf,) de Stat. Imp. German. c. VIII, acute non minus quam fidele tradita illa convellit.

§. VI. Meliora laborans Germaniæ media propinavit Celeberr. Dn. Textor, adornato integro tractatu de vera Ratione Status Germaniæ, Commendandus hic tractatus tum ob judicium Autoris, tum etiam ob ejusdem, ut apparet, experientiam in rebus agendis & vita civili. Nec minus hoc utilitatem & pretium libro addit, quod post Instrumentum Pacis Westphalicæ editus sit, quippe post quem Germania insignem illam notissimamque mutationem Status sui est experta, unde non potuit non simul etiam ratio status ejusdem alterari mutarive. Interim tamen comparent in hisce Consiliis, ut in nullis non hujus generis, quæ postquam prolata sunt, nondum tamen introducta apparent, licet specie utilitatis blandiantur, & justæ sepius adfuntrationes dubitandi, an introduci posint. Anima vero talium consiliorum videtur esse in applicabilitate. Exigua autem spes de illa capi potest, ubi genius temporum & facies rerum politicarum refragatur. Breviter: frigent Consilia talia sine genuina politica. Hæc vero maximam partem absolvitur notitia humani generis, ejus affectuum, naturæ negotiorum humanae. Ast quantæ molis est tali notitia imbuiri; aut quotusquisque est cui felicitas contingit, in Scholis & Academiis, loco nugacissima & ad vitam Civilem ineptissimæ philosophiæ Scholastizæ prima hæc rudimenta, ex genitiva Ethica haurienda, saltē addiscendi, postea usū, in Aulis maxime, & conversatione cum magnis viris perficienda,

§. VII. Quæ

DE RAT. STAT. IMP. RÖM. GERM. 227

§. VII. Quæ autem de studio concordiae & mutuae
tolerantiae religionis monet laudatus Autor, & tauquam non
minimum remedium tranquillitatis Germaniaæ commendat;
in eo puto omnes Cordatores ipsum consentientes habitu-
rum esse. Optavit dudum Scrio & sincere eandem mode-
rationem nostratum erga dissentientes in religione B. Bru-
nemannus in Iure suo Ecclesiastico, & omnes illi cum eo
ad hunc hodie hoc suspirant, quibus curæ cordique est pax &
salus Ecclesie. Evidem cum talia scriberet Dn. Textor,
Germania nondum adeo felix erat, ut ejusmodi remedia
pacifica sine atroci murmure & haereticandi pruritu a rixato-
ribus dimitti posset, quorum stuporem si non ratio, si non
christianismus convincere potuisset, tamen exemplum Belgij
federati errorem illum; ac si turba ex mutua tolerantia di-
versarum religionum oriatur, vel palpandum tradere potu-
isset. Interim extollimus temporum praesentium felicitatem,
ubi securius & majori cum applausu filii Pacis excipiuntur,
postquam nimirum Gratia divina excitavit philosophiam,
quæ docet reformationem non aliorum, sed sui ipsius, &
quæ regnum Dei non querit in verbis, in concepiu myste-
riorum incomprehensibilium, in speculationibus intellectus
de Deo & ejus essentia, indeque ambitione differendi ac
cum aliis contendendi; sed in corde, in abnegatione sui, man-
suetudine, humilitate, amore Dei & proximi.

§. VIII. Propius vero nunc accedamus ad naturam &
indolem Rationis Status Germaniaæ. Evidem vocabulum
Rationis Status recens & ab Italibz exceptum, res vero, quam
indigitat, vetustissima est. In laxiori conceptu nil aliud
denotat quam solentem indagationem & electionem medio-
rum conservandi se in illo statu, sive conditione, in qua quis,
si non, quam appetit, summa, mediocri tamen, saltem
sua ex opinione, felicitate vivit. Hæc est cujusvis homi-
nis Ratio Status. Pro ut quis media honesta & societati
communi non adverfa adhibet, aut contraria, pro ut illa.
Ratio Status bona est, vel mala. Ut autem hoc casu se
habet

habet conditio privatæ fortis; ita Principum non alia fors si inter se comparentur invicem & quatenus hoc intuitu exquantur hominibus in statu naturali degentibus.

§. IX. Resultat inde duplex Ratio Status Germaniæ. Alia est generalis, intuitu totius corporis: Alia est specialis, quam habet quilibet Princeps, qualibet Domus illustris conservandi se suaque jura circa diminutionem in statu in quo sunt, vicissim omnia avertendi quæ nocere possunt. Constituant hæc specialem politicam cujusque Principatus, & plerumque objectum sanctiorum consiliorum sunt. Semper vero ad salutem totius corporis reflectant necesse est, quia circa hanc membris bene esse vix potest. An vero hæc salus per Rationem Status in sensu Italicorum scriptorum debat promoveri; anceps quæstio est definitu quamdiu ad specialia non descenditur. Scilicet ex mente Italorum, Ratio status in nativa sua significatione subinnuit modum quendam obliquum & arcanum ex duobus malis minus eligendi, mediis a justitia & legibus quodammodo deflectentibus & exorbitantibus ad tuendum statum publicum. Hinc prudentia mixta & extraordinaria vocanda, quia definiens erit am justissimo Græcorum, Aristide, *Respublica multa eget injuria*. Plutarch, *in vit. Aristid.* De tali vero casu ancipiti, & ubi vel Principatus alicujus, vel Germaniæ totius status a lez esset expositus, nisi talia adhicerentur, in præsenti non est sermo, & prudentioribus incumberet circumspiciendi, quæ Ratio Status postulatura tunc esset.

§. X. Ergo quatenus Ratio Status supponit remedia extraordinaria exorbitantia in casibus extraordinariis adhibenda, eateius illam, utpote Circulos privatos transcedentem, aliis, & in primis ad gubernacula sedentibus relinquimus, utpote aliquando de illa Ratione Status rationes reddituris. Sermo itaq; erit de Ordinario Statu Germaniæ præsentis, & quomodo ille tranquille feliciterque conservari possit. Haec tenus enim perlustravimus in præcedentibus Dissertationi-

tionibus, quid circa publicum Statum Germania^z *justum*
h. e. legibus præceptum sit; nunc quid circa illum *utile*
sit, paucis duntaxat, & ne truncus fine labor appareat, a-
gendum erit. Ne vero tradenda prudenti ac felici so-
mnio, quam veris ac applicabilibus mediis similiora re-
media videantur, præfens utilitatis inquisitio circa Statum
Germania^z *conflituum*, & quid rerum civilium gnari ex
regulis politicis circa meliorem, commodiorem & ex-
peditionem ejus conservationem suggestant, versa-
bitur.

§. XI. Non poterimus vero quid utile sit Statu^m
Germania^z recte expendere, ni antea follicite indagemus
qualia fluant ex illo incommoda, quæ an irregularitatem,
an morbos, an convulsiones cum Monzambano, an vi-
tia Status vocare velis, nobis perinde erit, qui stultam
philosophiam judicamus de re ipsa convenire & tamen,
de verbis clamores instituere. Evidem in genere hoc
verum est, nullam strueturam civilem adeo perfectam & o-
mnibus numeris absolutam produci posse ingenio ac so-
lertia humana, ut nulla plane incommoda eam comiten-
tur. Interim tamen pro perfecta in hac imperfectione,
humana haberi potest illa forma Civitatis, quæ minimis
aut non adeo magnis urgeatur, & vitia magis per compa-
rationem, quam seorsim estimanda sunt. Sic inter re-
rum Civilium gnos convenit, consumante hucus quo-
tidiano, quod ex Civitatibus *simplicibus*, h. e. forma Mo-
narchica, Aristocratica, Democratica, *strictiori* utentibus,
regulariter illæ pro Rebuspublicis perfectis haberi debeant;
licet hæ inter se spectatæ, commodis vel incommodis di-
stingvantur. Civitates autem triplicis hujus generis laxio-
ris formæ vitiis Status laborare solent. Ex Rebuspu-
blicis *compositis* etiam illæ mensuram perfectæ Civitatis
implent, in quibus singula corpora five Civitates sui ju-
ris sunt, habentque omne jus *scopo* salutis publicæ ne-
cessaria.

230 DE RAT. STAT. IMP. ROM-GERM.
cessarium; inter se vero nexus adæquate composito conne-
ctuntur. Ubi ista deficiunt, ibi vitia Status agnoscere par est,
uti hoc Pufendorffius de *J. Nat. & G. lib. VII. & Diff. de Repub.*
irregul. ut & sub nomine Monzamb. *cap. VIII.* Ulric.
Huberius de *Jure Civit.* p. i. aliquae accuratiores Politici
pleniū illustrant.

§. XII. Si vero formam Imperii Germanici, & statum inde fluentem consideremus, inter perfectas Répu-
blicas modo traditas haud connumerari poterit indicio
manifestissimo, quod plerique iisque celebriores scriptores
Juris publici eam referant non ad Civitates simplices, aut
compositas, quæ perfectæ esse possunt, sed mixtas. Imo si
ad regulas perfectionis politicae accederet, non appareat,
quorū tot clamores & rixæ super forma & modo regimi-
nis ejusdem fuissent instituendæ, & cur uni cum altero
super isthac re, si forte collatio instituatur, æque conveni-
at, quam Peripatetico & Cartesiano super qualitatibus
occultis, particulis hamosis & ramosis aut striatis in ma-
gnétis attractione. Cum igitur forma & inde resultans
status Imperii omnium aut expressa aut saltim tacita,
confessione politice perfectus non sit; porro despicien-
dum est, quinam sint morbi aut vitia quæ impediunt hanc
felicitatem aut perfectionem.

§. XIII. In hac disquisitione autem, cum ardua-
sit, bene separanda erunt vitia hominum a vitiis status. Illa
oriantur, si Imperantes & parentes officia quæ hoc intui-
tu incumbunt, negligunt. Status antem vitia sunt, quæ
descendunt ex pactis fundamentalibus male temperatis,
quibus Civitas imdonea redditur ad procurandum & ob-
tinendum finem intentum i.e. communem tranquillita-
tem & felicitatem. Apparet inde differentia horum vi-
tiorum. Quamvis enim in vitiis Status personarum cor-
ruptio non excludatur, tamen propterea vitia status vo-
cantur.

cantur, quia quæ a personis hic peccantur, adscribenda sint communibus nœvis humani generis ac fluent ex indeole negotiorum humanorum, & affectibus in prava semper declinantibus, quibus ipsæ leges fundamentales an-sam dant, aut quæ occasionem præbent, non tollunt.

§. XIX. Apparebit ex hac descriptione, *mutuam illam remitentiam* quæ est inter Imperatorem & Ordines, ipsum Status Germanici vitium esse, & intrinsece illum afficere. Consistit autem mutua illa remitentia in eo, quod Germania forma neque exacte ad systema Fœderatarum Rerumpublicarum, neque ad Regnum legitimum quadret, sed inter utramque speciem fluctuat legibus fundamentalibus eo inclinantibus, uti nonnulla circa hanc rem adduximus *Diss. IV.* §. 18. Exterior enim facies & inania simulacra Regiam potestatem præ se ferunt; ast quæ in effectu umbra quædam Regii Imperij est, & quæ fere cernitur in iis, qui corpori alicui sociorum velut Duxes præfunt. Inde autem, annotante sagacissimo Monzambano *de Stat. Imp. Cap. VII.* §. 8. perniciosissima convulsio corpus Imperii distrahit, in diversa tendentibus Imperatore & Ordinibus, dum ille ad regiam potestatem velut postliminio, quavis occasione oblata grastatur; hi vero partas semel opes & a tot seculis possessas, non minus strenue defendere satagunt. Ex quo non possunt non perpetuae suspiciones, dissidentia, occultæque machinationes oriri, præpediendis alterius incrementis, aut interfingendæ surgentis potentiaz.

§. XV. Huic morbo Imperii adjungimus secundum dictum Monzambani *Cap. VII.* nœvos alios, non minus harmoniam Imperii turbantes. Inter hos non ultimum locum occupant distractiones ipsæ inter Status & Ordines, quæ ex diversis causis proveniunt & efficiunt, ut ne concinnum quidem Sociorum Systema Germania

232 DE RAT. STAT. IMP. ROM. GERM.

mania prae se ferat; Ipsi Ordines disparsi Reipublicae forma utentes male inter se compositi, dum intermixtae passim Principibus degunt liberae Civitates, quibus prout aut commerciis aut potentia florent, invidia, insidia, insultationes; aut re mediocri utentibus, contemptus & subjugandi pruritus gravis est. Quae omnia acris & manifestius existunt inter Episcopos illasque urbes, in quibus isti Cathedrales suas Ecclesiasticas habent; Imo in Comitiis superiora Collegia non leve fastidium adversus Collatum Urbium ostentant. Nec usque quaque propitiis oculis sese invicem aspiciunt Principes Ecclesiastici & Seculares, quia illi per hos abdomina coperunt generre multo depresso, ut Monzambano false loquuntur, siue clarius: ob secularisationem bonorum. Illud quoque non parum ad distractionem Ordinum facit, quod inter multos magna sit opum inaequalitas. Hinc enim virtus communis humani generis, potentioribus oritur contemptus adversus imbecilliores, ex contemptu vero libido eos opprimendi, ad minimum autoritate sua regendi; his contra in suspicione & querelas pronis, ac libertatis æqualitatem quandoque importunius crepantibus. Sed & eminentia Electorum prae reliquis Principibus, non levissim dissidii causa, his tantum splendorem ægre ferentibus, ac nonnulla praeter ius usurpari jaestantibus; illis haec tenus usurpati cedere non cupientibus, sed pro jure atque autoritate sua strenue nitentibus. Inde querelæ de Oligarchico statu, distractiones animorum, spcius & minæ fatis acres & erupciones, si occasio ferat, in flammæ. Aut si in speciem amicitia duret, arcana tamen æmulatio animos dislocat, malum eo periculosius quo est secretius. conf.
Forstner. in Epist.

S. XVI. Refert perro Monzambano ad convolutionem virium totius corporis non parum facientem, quod intercedant quoque singulis Ordinibus non paucæ invicem æmulationes & controversiae. Præcipuas jam attingit:

DE RAT. STAT. IMP. ROM. GERM.

attigit ille Cap. VII. §. 10. pro ut eo tempore illas dijudicare valuit. Utinam autem illæ cum præcedentis Seculi fine expirassent, & non novæ fomentationes novo cum seculo accessissent. Veteres controversia quæ plerisque intercedunt super præcedentia, etiam nonnullorum Principum animos odii sat gravibus distinxerint. Omnia Actorum Comitium volumina oppleta sunt istiusmodi contentiōribus, quæ hactenus componi non potuerant, nisi remedii provisionariis, modo alternandi, aliisque impediendis collisionibus manifestis inde orituris.

§. XVI. Acerimæ etiam contentiones super externa professione Religionis sive cultus divini Germaniam misere in partes traxit superioribus seculis, eo quod Sacerdotibus, ut cum Monzambano lequamur, solenne fit diversa sentientibus cælo interdicere; & quod per Protestantes Catholici Sacerdotes magna opum suarum parte sint exurbati, quarum desiderium ad easdem recuperandas noctes diesque ipsius stimulos subdit. Dico subdit. Posset videri illas odii causas excisas esse per pacem Westphalicam, quippe in qua bonorum Ecclesiasticorum possessio Protestantibus in futurum asserta, & Romano-Catholicis reliqua quoque amittendi metus demptus est. Aetate aureo in seculo degeremus, si pax, si pacta fessent firma validaque remedia cohibendorum affectuum. Semper in exordio Pacificationum firmæ & æternæ illæ promittuntur; semper rumpuntur repagulo mutui metus sublatto. Qui sibi mutuo nocere possunt, illi & volunt principium Hobbesii, imo potius interprete illo, indolis communis humani est. Centra: qui sibi mutuo nocere possunt, illi negligunt, alioris philosophia est, melioris quidem sed rari sunt, qui ita philosophantur. Articulus IV. Pacis Rysiensis, tum & presentes motus Palatini satis confirmant, non deesse uni parti pacientium in hac causa animum, alta mente repositum odium effundendi, si occasio ferat.

Kk 3

§. XVII.

234 DE RAT. STAT. IMP. ROM. GERM.

§. XVIII. Potiores hi, iisque sat perniciosi morbi corporis Imperii Germanici efficiunt, ut inter minores nraeos referendum sit, quod *Afræ vestigia*, maximime in causis Principum, per Germaniam fere evanuerint, inde factum est, ut jus fere in armis sit, & qui viribus pollet, causa quoque prævaleat. In causis civilibus privatorum tædiosissimus miserrimusque Processus ubique locorum deprehenditur, per quem etiam liquidissimum jus in lustra multa studi potest. Nec minus moneta varietas per Germaniam Commerciis privatorumque patrimonii multum incommodi afferit, maxime si avaritia nequitiaeque monetariorum monetam temerantium & adulterantium fibulam laxent potiores in prædicta partem venientes, ubi tunc nummi ipsi tenuitatis sua verecundiam pso colore produnt civibus & exteris,

§. XIX. Hi sunt potiores morbi intra viscera corporis Imperii harentes, qui eo perniciosiores sunt, quod via Status sint, ex irregulari forma propullantia ac fermentum ex ipsis legibus accipientia. Evidem si non Republicæ, sed hominum via essent, spes esset, ex intentu ipsorum mutationem in melius contingere posse, que plane in cineres abit, dum Germania cum hisce viuis tamdiu luctata est, neque tamen incommoda politica eluctata est, aut eluctabitur in posterum quamdiu in tali statu manebit. Nam non potest non ex tali forma, ex istis recentis vitiis maxima corporis imbecillitas oriiri, quam eleganter repræsentat Pufendorf. *Diss. de Re publ. Irreg.* §. 27. Quamvis autem ingruente & impelleente magno periculo, utenque se defendere queat, ad omnia tamen facinus magnum gloriæque capax, idem est inhabile. Singula vero illiusmodi corporis membra pro diversitate situs, potentia ac obtenti imperii civilis vel bene, vel male se habent. *conf. Dn. Titius spec. J. P. 4. 6. t. 9. §. 33.*

DE RAT. STAT. IMP. RÖM. GERM. 139

§. XX. Priusquam vero nunc nos explicemus illa remedia ab uno altero ve Germania laboranti commendata; sentio gravem (si Diff placet) primo intuitu Objectionem, & praesenti scriptio[n]is generi valde adver-sam, esse removendam. Pravideo enim haud paucos Rein-kingianos aut Faurmeisterianos, nefcio quem pruri-tum innovandi hic objecturos. Sugillabunt haud dubie, quod talia recedant a philosophia Bæcleri *Nat. Imp. lib. 22.* c. 2. quod in omni bene constituta Reipublica non licere debeat alius loqui de forma & statu Civitatis, quam leges publice lo-quuntur & decernunt. Boni Civis officium esse, pergent, semper magnifice loqui de Statu Reipublica sua, qua-lisunque sit. Morbos Reipublicæ palam ostendere, esse idem, ac Exteris Civitatem proſtituere. At bonis istis viris prius consulimus, ut pra[judic]ia autoritatis depo-nant, & tunc lis facile componetur. Pra[judic]ium philo-philosophie Bæclerianæ, quo ad hanc partem, jam elidimus supra *Diff. I. §. 2.* Boni Civis officium non consistit in fal-sa ratiocinatione circa statum sua Reipublicæ, aut in inepta dissimulatione & laudatione navorum Regiminis; sed in patiente tolerantia malorum communium. Hinc optime in uno subiecto concurrere possunt inquisitio veritatis & officium boni Civis. Nec privatus a veritate inquirenda circa statum sua Reipubl. excludi potest, non quasi curis publicis immiscere se velit, sed ut solum natu-rali datur, quo in veritatis inquisitionem propendet, satisfaciat. Ignari autem actionum politicarum sunt qui existimant, tali ratione morbos Reipubl. exteris proſtitui. Nam exteris vitia illa ex infirmitate operationum, quas ejusmodi corpus edit, plerumque notiora sunt, quam ut nunc denum ipsis innoscere debeat.

§. XXIV. Igitur uti istæ objections a specifica-tione vitiorum Status Imperii nos minime avertere po-tuerunt, aut debuerunt; ita nunc potio Remedia huic male

236 DE RAT. STAT. IMP. ROM. GERM.

malo tollendo, aut saltem corrigendo idonea, propius inspicere animus est. Jam supra terigitus nonnulla horum remediiorum felicibus somniis quam consiliis politicis esse similiora. Nam felix revera Germania esset, si secundum illa in melius omnia reformati possent. Aliqui excogitant ideam aut exemplar perfectissima Reipublicæ, non qualis existat, aut existere possit, sed existere debeat, quam si cum Campanella in *Sole*, cum Moro in *Utopia*, cum Anonymo in *Australterra* apud *Severambes*, tantummodo querant, meo quidem judicio laudari possunt. Verum cum in hoc mundo perfectam illam Rempublicam querant tunc in somnium cogitationes ista degenerant. Consiliorum politicorum anima est applicabilitas. Si hæc ob indolem negotiorum humanorum sperari non possit, non politica sunt ista, quæ talia ingerunt, sed abstractiones metaphysicæ.

§. XXII. Videlur vero optimum & citissimum remedium corrigendis hisce malis esse, si degenerans a Monarchia & ad Systema vergens forma sive status reformetur ad leges federatarum Rerumpublicarum. Ast videlur consilium politicum esse, sed non est. Tot enim intuitu Germaniæ impedimenta hic semet ostentant, ut nulla spes superfit superinducenda perfecta systematicæ formæ. Nam Provinciarum multitudo, inæqualitas & nimia quarundam imbecillitas impediunt, ne tale corpus in concinnum systema digeri queat. Ipsa morbi ignorantia plerorumque aut vera, aut affectata emendationi obstat, quæ uti facile ob superstites pristini status reliquias obrepere potest, ita ab iis, qui morbi dissimulatione officium boni Civis metuntur, ac vinculum unius Reipublicæ dudum amissum, inanibus semper verbis deprædicant, strenue conservari solet. Accedit, quod pleraque corporis Imperii membra, suisque quæque rationibus ab emendatione abhorreant, ac in communis vinculi laxitate & statu præsente interesse suum querere sole-

soleant. Nec ultimam difficultatem creat religionum diversitas, & religionem mentiens supersticio, nec non pessimum illud de dissentientibus odio habendis præjudicium, ac ardenter amor utilitatis Dominatus externi, quam patriæ incolumitatis. add. Dn. Titius l.c. p. 642.

§. XXIII. Ergo cum talem reformationem in melius adducta hæc nos sperare vident, paucis aehuc circumspiciendum erit, annon superfint consilia, quorum observatio præsenti Germaniæ statui salutari esse possit. Adsum talia, si tamen fatendum est quod res est, chris palliativis Medicorum non sunt absumilia. Remedia sex, seu rationes Status Hippolytus a Lapide Germaniæ fivit, verum crudelia illa, inepta & Germaniæ pernicioſa inventa sunt. vid. Monzamb. de Stat. Germ. cap. VIII. Ipse Monzambanus alleg. Cap. postquam ingenue non minus quam cordate morbos Corporis Imperii deexit, media curandis malis suppeditat, non quæ originem mali tollant, sed quæ impedian, ne morbi isti plane exitium Imperii promoveant. Eum in finem §. IV. commendat regulas & talia media, quæ a politicis sociis & federatis Rebus publicis observanda præscribuntur; cum status Germania proxime accedat ad Systema aliquod plurium Rerum publ. federatarum. Dein summe necessarium judicant, ac nulli concedatur, ut imbecilliorem possit opprimere; utque adeo inter dispates opes par sit omnium libertas & securitas. Ast bene annotat in scholis ad h. l. Dn. Thomasius, quod hoc remedium tum efficax sit futurum, quando extinctæ fuerint in animis generis humani dominationes avaritiae & ambitionis. Hinc Monzambano obstant verba, quæ ipse in §. preced. Hippolyta occinit: *Hoc remedium declamationi scholis sine copioſum potest præbere argumentum, in iustissimam altem Republicam Germanie tum demum applicari poterit, quando*

238 DE RAT. STAT. IMP. ROM. GERM.
omnes Germania proceres sapere incipient & animi mo-
tus ad leges philosophicas exakte attemperare.

§. XXIV. Igitur laboranti statui nil salutarius
svaderi posse videtur, quam ut vinculum Commune, quo-
cohæret, conserver, ne in deterius ruat, magisque laxe-
tur. Quid ut sit, moderandus (nam extirpationem
navi communes humani generis vetant sperare) est luxus,
ambitio, studium commodi privati, & perversum, de-
hominibus diversæ religionis odio habendis, præjudici-
um. Ast & hæc speciosa consilia, observatu vero diffi-
cilia, Quis luxum moderabitur in Seculo, ubi pompa
& Ceremonia Aularum in summum eveclæ fastigium, &
quilibet decorum existimat, luxuriam potentiorum æmu-
lari? Quis ambitioni renontiabit, cum dudum ejus ope-
rations sub pallio *virtutis heroica* venditata sint? Studium
commodi privati & perfecutio dissidentium tum
demum animos relinquet, quando omnes sapere incipient,
& animi motus ad leges philosophicas exakte attempe-
rare, quod an & quando siet, ego hariolandi nescius, fu-
tutorum anxius, non habeo, quod certi determinem.

§. XXV. Diximus supra §. 8. singulos homines ha-
bere suam rationem status, hinc Rationem status in sin-
gularem & universalem dividendam esse. Videtur cer-
te hæc ex illa fluere. Nam ut bene annotat Dn. Tho-
mas ad Monzamb. cap. 8. §. 4. summum bonum singulorum
constituit etiam summum bonum Rerum publicarum. Ut enim in Ecclesiastici status reformatione tunc demum
felicior eventus sperandus est, si quilibet reformationem
a se incipiat, svadendo, adhortando & exemplo pro-
prio vitæ inculpatæ præstat; ita & in Reipublicæ emenda-
tione frustra communia & generalia remedia suggerun-
tar, quamdiu quilibet in Republica vivenis, se non e-
mendat.

mendat & propriæ felicitati, quæ ex ipso dependet, non studet. Reliqua remedia, utut prudentissima videantur, tamen nil aliud sunt quæ curæ palliativæ morbum non eradicantes, sed interdum aliquantisper lenientes, interdum etiam exasperantes. Nam sine Ethica genuina, Politica depravat magis affectus humanos, quam ut corrigat. Loquor vero de felicitate morali & temporali, non vero illa theologica & æterna, cujus prægustum si omnes possiderent, felicissimo loco starent omnia Imperia & Republicæ.

§. XXVI. Fraterea salus & felicitas totius corporis bene sese habet, si omnibus membris bene sit, quod quamvis ab omnibus non expectari possit, tamen major erit felicitas & salus totius, si nonnulli saltem Status veram utilitatem Provinciarum suarum current. Consistit autem illa promootio utilitatis, sive observatio rationis status genuinæ in emendatione Status Ecclesiastici & Civilis. Ex illa tanquam basi omnis felicitatis etiam felicitas civilis & politica derivatur. Quomodo igitur abusus in Ecclesiam irreptentes & navi circa cultum divinum, externum observati sint emendandi; de eo graviter solliciti fuerunt dudum haud pauci Theologorum & JCTorum pietate & prudentia insignium. Pertinent huc Dn. Speneri pia desideria, & B. Brunnemannii *Jus Ecclesiasticum*, scripta ex sincero & de domino Josephi sollicito animo profecta, utinam ab omnibus eodem candore, eadem tranquillitate mentis excepta. Experientia loquitur, quanto cum fructu ejusmodi emendationes sint in hac vel illa Provincia suscepit, quod speciatim de terris Brandenburgicis integra dissertatione prosecutus est Dn. Thomasius de felicit. subditor. Brandenb. ob emendatum statum religion. & polit. Res eo redit: si dissentientes circa Mysteria incomprehensibilia amore non odio prosequamur,

Ll 2

& cul-

246 DE RAT. STAT. IMP. ROM. GERM.

& cultus divinus non in Ceremoniis, speculationibus & concertationibus de Articulis fidei, sed in seria abnegatione sui & vera emendatione in melius quotidiana, ponatur; non potest non emendatio Status Ecclesiastici sperari & promoveri. Quantum adjumenti autem ad hanc rem veri Antistites sacrorum afferant, malo verbis Forstneri, politici non minus cordati, quam Christiani & sinceri, in Episcola ad Sceniss. Ducem Brunsvic. p. 189. delineare: Fieri nequit ut propitio numine utamur, nisi summi patriter & insimili vitam & actiones suas omnes ad legum & iuriarum prescriptum dirigant, pravae acta & contra DEI Majestatem commissa seriis lacrymis deplorent vitamque emendent. Quia in re cum ceteris, qui saeculis praesunt, preire vitamque monstrare, debeant; summa cura Princeps providere debet, ut Ecclesias ministri praesciantur, non tam docti, quam pii, non tam pugnandi de controversis articulis (haereticandi) periti, quam regem Christi, edoti, camque sua conversatione exprimentes: Qualis apud Vos ante bac Johannes Arndius fuit, quem non solum in Ducatu Brunsvicensi, sed & alibi terrarum quamplurimos discipulos imitatores quereliquisse summopere exceptandum foret.

§. XXVII. Si tales sacris praesunt, si Principes unanimiter coercent cacoethes illud dissentientes impune pro Cathedra insectandi; tunc sane triste illud odium Religionis, fomento subtracto, contabescet. Non Concilia, non Synodi, sive Universales, sive nationes

DE RAT. STAT. IMP. ROM. GERM. 241

Nationales sint; non Colloquia, sive voces *charitativa*, sive, uti profecto omnia fuere, *eristica*, hoc malum eradicare potuerunt, aut poterunt in posterum si vel centies instituantur, & pridemus in legibus circumscribantur. Fac ut verus cultus divinus ubique populo annuncietur, ut ille definiatur juxta simplicem dictum S. Scripturae, ex sinceritate cordis, puritate amoris erga Deum & proximum quemcunque, ex abnegatione ambitionis, avaritiae, voluptatis; & videbis omnes rixas, omnem contendendi libidinem, anathematissimos ob diversum conceptum mysteriorum, falsas consequentias, imputationes Blasphemorum dogmatum, & similia opprobria christiani nominis, uno ictu concidere. Quamdiu vero hoc non sit, sed homines malunt christianissimum verbis, gestibus, ceremoniis, non re, opera, corde exprimere, tamdiu nullum Concilium, nulla Synodus, nullum Colloquium speratos fructus producit. Quin potius observarunt alii ex genuina historia Ecclesiastica, sequestratis praejudicatis autoritatis, nullum Concilium, a tempore Nicani usque ad Tridentinum, frugis multum in Ecclesiam contulisse, sed loco seriae emendationis, & eradicationis abusuum in moribus & doctrina, formulas, symbola, condemnations productas fuisse, cum & Hilarius jam suo tempore conquestus fuerit, quod vera fides ex cordibus amissa sit, ex quo coepit est fidem formulis & chartae includere in Conciliis & Synodis,

L 13

§. XXVIII.

§. XXVIII. Sed nec minus status civilis Provinciarum emendari sepius commode potest. Hodie felicitas & potentia Principis ex proventibus aestimatur, proventus vero dependent ex frequenti Commerciorum cursu. Inde Gallorum surgens potentia, Anglorum & Belgarum opes praे omnibus reliquis regnis conspicua. Quicquid alii cum Klockio, Maximiliano Faust & aliis remediorum proponant ad augendum aerarium, puto omnes regulas in commerciorum cursu felici concentrari. Quamvis autem Germania maritima locis non multum valeat, nihilominus quilibet Princeps, qui commido Provincia sua studet, propicere debet, ut illa cuncta qua territorium fert, usui rite applicentur, superflua exteris cedantur, & quantum fieri potest peregrinis mercibus abstineatur. Illa enim ditio locuples est ex qua multa exportantur, & pauca aliunde in illam transvehuntur. Quod si vero Germaniam intuecamur, illa non solum ampla est & multitudine Regionum vicina Regna antecellit; sed & pauca deprehenduntur loca, qua nil producant ad vitæ humanæ cultum facientia. Nam is ubique rerum ad vitam proventus est, ut eadem extraneorum rebus haud quidquam indigeat, nisi ad luxum & superfluas voluptates. His si frenum ponи posset, exteris haud dubie parcius Germaniam pecunia emungendi occasionem habent. Nec minus consultum videtur, si artifices operum manuariorum peregrinorum invitentur, Monopolia opificum nostrorum & tribuum restringantur, aut exemplo Belgij plene tollantur. Nam incrementis Provinciarum obstat eiusmodi tribus, dudum evicit Becherus in eleg. br. von Auffnahme Deutscher Städte und Länder.


§. XXXIX.

§. XXIX. Nec defunt qui inter causas
exhaustarum regionum recentent, quod per
discursationes juventutis Germanicæ ad exte-
ros, non parum argenti extra natale solum
trahatur. Satyrice, more suo, has peregrina-
tiones, tanquam ineptas circumfitationes
perstringit Monzambano de Stat. Imp. Cap. 7. § 3.
innuens, quod p' eruinde ex italia nil
nisi delicias quasdam viciorum Transal-
pinis alias inusitatorum, & formulas
blasphemandi rariores domum reportent,
quod Gallia plerosque peregrinatores non a-
liis instructos artibus dimittere soleat; quam
ut sordidius tubureinari deinceps norint,
gradusque venereæ scabiei, ex propriis ut plu-
rimi experimentis, receniere. Qui ab-
usus citra dubium etiam in causa est, ut non
nulli Principum, subditis interdixerint pere-
grinacionibus istiusmodi, nisi speciali venia
ab iis impetrata.

§. XXX. Quo autem hæc, & hu-
jus generis plura alia ab Imperantibus ob-
servari queant. & omnia consilia eo felicius
ad salutem communem dirigantur, Viri
probi

244 DE RAT. STAT. IMP. ROM. GERM.

probi & prudentes in confortium curarum, &
& regiminis admittendi sunt ex omnibus
Ordinibus. Nam sapientia & probi mores
nulli ordini, nulli instituto humano ita pe-
culiariter alligata cenleri debent, ut non, &
frequentius quidem, apud viros nullis privi-
legiis ornatos deprehendi etiam possint. Fe-
lix vero Princeps qui donis illis naturalibus
instructus est, ut ipse eligere posit idoneos
præ minus idoneis, & qui non semper
alienis oculis ac auribus fidere neces-
se habet,




Halle, Diss.) 1701 (Br/R)

ULB Halle
001 513 001

3



56



A.
No. 84
XXXI. 1101 13 4

D. B. V.
DISSERTATIO JVRIDICA
DE
RATIONE STA-
TVS IMPERII ROMANO-
GERMANICI.
Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRID. WILHELMO
REGNI BORVSSICI, AC ELECTORATVS BRANDEN-
BVRGICI HEREDE &c. &c. &c.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
DN. JACOBO BRVNNEMANNO
JVRIVM LICENTIATO.
D. 9. May. M DCCI. H. L. Q. C.
Eruditorum disquisitioni subjicit
AVGVSTVS ADOLPHVS ERMISCH
Brunsvicensis.
HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis JOHANNIS GRUNERI, Typogr. Acad.